

rum est conductus, et postea Bardini sepultus a. D. 1437 in die conceptionis virginis Marie.

A. D. 1438. Albertus II. a. 1 m. 8 rexit imperium.

Albertus dux Austrie, gener Sigismundi, Posonii statim post mortem Sigismundi presente funere in regem Ungarie electus, et postea in die circumcisionis Domini anno ejusdem 1438 Albe est coronatus, et eodem anno per electores imperii in regem Romanorum est electus, et postea ipso anno in regem Bohemorum electus et coronatus. Hic erat princeps magnarum virtutum et pietatis, et strenuus circa ecclesiam Romanam, et contra Bohemos ac Moravos pro fide catholica viriliter agens. Hic post suscepcionem predictorum regnorum ad vota baronum ad partes inferiores exercitualmente contra Turcos processit, ubi magnis infirmitatibus circumventus, scilicet dissenteria, dimisso exercitu ascendens et in Nesmyl villa scilicet Laugendorff est mortuus et Albe tumulatus a. D. 1439 in vigilia sanctorum Symonis et Jude apostolorum. Reginam, scilicet dominam Elizabeth relinquens pregnantem, que postea peperit filium in castro Gummaron, quem Ladislaum nominavit, et eum coronatum Romanorum regi assignavit. Hiis temporibus multe gwerre in regno Hungarie sunt exorte inter barones et prelatos.

A. D. 1440. Fridericus III. dux Austrie, imperavit a. . .

Fridericus III, dux Austrie, in regem Romanorum est electus, et postea Aquisgrani coronatus. Anno vero Domini 1452 in dominica Letare, que fuit 19. mensis Marcii, per Nicolaum V. in imperatorem Romanorum similiter est coronatus in Urbe etc. una cum consorte sua, filia regis Portugalie¹⁾ nomine Leonora. Que obiit a. D. 1467°. Prefatus Fridericus recepit se ad Augustam a. D. 1473° et 74°. (Andere Hand:) Contra quem se erexit dux Burgundionum cum duobus centum milibus armatorum, qui possedit civitatem Newsz.

Fortsetzung.

A. D. 1486. Maximilianus dux Austrie, Friderici tercii filius, est electus in Romanorum regem²⁾.

Et postea in imperatorem. Qui vir fuit valde devotus et religiosus, cultum divinum ubique ampliavit, religiosos et doctos viros valde amabat et frequenter secreciora cum ipsis colloquia tenebat, ut testantur libri, oraciones et epistole ad eum scripte. Per totam vitam suam provincias et civitates imperii perlustrans, raro in uno loco diutinam moram traxit, sed ad instar

1) Der folgende Satz ist zugesetzt von derselben Hand, welche zu Pius II. den ersten Zusatz machte. 2) Das Bild ist von anderer Hand, ebenso die Unterschrift; die folgende Erzählung ganz gleichmässig von humanistischer Hand geschrieben, von welcher auch die letzte Fortsetzung der Papstgeschichte herrührt.